

ch. in dñm tuū ex toto corde tuo.
et iā tua: rex om̄ibz iuribz tuis
et tua: et proximū tuum
Dicit q̄ illi. Recte respōdit
fac iures. Ille aut̄ uolēs iusti
fieri: dix̄ ad ih̄m. Et quis est
nomen tuum? Suspiciens aut̄ ih̄c
Sermo quidam descendebat ab
in ihericho: et incidit in latro
qui etiam despoliauer̄ eum: et
impositis abierunt semiuuio
descendit aut̄ ut sacerdos quidā
eandem uia: et uiso illo p̄teri
summat̄ uenta cum eēt secus
eum. p̄transiit. Sama
anus aut̄ quidā mer faciens uenit
eum: et uidens eum m̄ia motus ē.


Ma 397

St. Graec. in Oct. N. 103.

II 2a 168

77

14



AVLI
PERSII
FLACCI
Satyræ VI

Accuratissimè emen-
datae & editae
ab
EILHARDO LVBINO.



ROSTOCHII
Typis Reusnerianis. Anno 1598.

179





Ingenio, Doctrinâ, Moribus
politissimis Juvenibus,

JOANNI MASIO &
JOANNI LUTTERMANO
ROSTOCHIENSIBVS

S.

Heophrastus moriens, politissimi juvenes, cum plerisque mortalium naturam incusavit, quòd cervis & corvis, alijsq; animalibus, quorum nihil interesset, vitam dedisset maximè diuturnam; homini verò exiguum adeò vitæ spacium, & punctum propè temporis, aut si quid illo adhuc minus: Cui si longius vivendi

A 2

tem-

EPISTOLA

tempus concessum esset, omnibus doctrinis, artibusq; perfectis vita hominum erudiretur. Ego verò contra, ut cum Crispo loquar, reputando Deum sive naturam æternâ providentiâ & consilio tantum vitæ temporis mortalium generi indulgisse scio, quantum ad munus humanæ fortis atq; conditionis ritè & rectè obeundum abundè possit sufficere. Adeo ut mortalibus non tam de fugaci brevitæ vitæ humanæ, quàm de suâ cujusq; pravitate, socordiâ, atq; imprudentiâ conquerendum sit, quâ vel nihil, vel aliena, vel mala pleriq; agimus. Justior ergo querela illa Romani sapientis Senecæ: Maxima pars vitæ elabitur malè agentibus, magna nihil agentibus, tota aliud agentibus. Certè
 tem-

DEDICATORIA.

tempus, quod vivimus, optimis studijs, & rectæ vitæ facilè responderet, modo illud, ne aut auferretur, aut furriperetur, aut excideret, sollicitè colligeremus, & servaremus. Quid autem demirandum, si pauci adeo vitæ studiorumq; suorum scopum pertingant? Multi enim ex pravitate talem metam nunquam sibi proposuerunt; Pleriq; ut vel maxime sibi proponant, ex ignaviâ tamen vitâ & studijs in crastinum semper respiciunt, & nunquam serio incipiunt; Nonnulli autem ex imprudentiâ per talia media eò contendunt, per quæ ad scopum pervenire nunquam conceditur. Atq; hæc triplex illa remora, quæ plerosque ad optima contendentes vel in medio cursu inhibet, vel

A 3

trans-

EPISTOLA

transversum abripit & seducit. Ingenium autem si intendas valet, nihilq; tam arduum, sublime, difficile est in rebus mortalium, quod humanae mentis acies, improbus labor, & pertinax diligentia expugnare non possit.

Quò magis hâc florente ætate, politicissimi juvenes, opera vobis danda, ut cum reliqua omnia aliena sint, illorum quæ propriè vestra sunt, ingenij & temporis accuratissimam rationem habeatis: utrumq; autem illis quæ **DEVS** & pulcra, & ardua esse voluit, salutari præceptorum vestrorum consilio impendatis; qui metâ vobis demonstrabunt, **QVO** tendendum sit, ut Deo & hominibus digna sapere, grata dicere, & salutaria facere possitis; **QVA** per-
gendum

DEDICATORIA.

gendum sit, scilicet per DEI ver-
bū, & vera virtutis & sapientiæ stu-
dia. Huc tendendū, hāc pergendum
est. HOC AGITE, ingeniosi ju-
venes, nec crastinum exspectate, sed
hodie INCIPITE. Huc autem
cum primis faciunt virtutis & sa-
pientiæ studia, SS. Theologiæ fidif-
simæ famulæ & pedissequæ, ut rectè
sacratissimi verbi DEI Mystæ sem-
per judicârunt, non morati raucas
illas ranas Apocalypticas, earumque
infanos clamores, qui ad impruden-
tiam impudentiam adjungunt, &
quæ non capiunt illa carpunt. In his
autem inter primos sunt magistri
virtutum, & censores morum Saty-
rici, & inter illos non postremus
Persius. Cujus paucas quidem, sed
ut exactæ, sic nimis abstrusæ, & ad
repre-

EPISTOLA DEDICATORIA.
reprehensionem usq; eruditæ do-
ctrinæ plenissimas Satyras vobis, le-
ctissimi juvenes, vestri præclaro stu-
dio & amore ductus, jam inscribo,
& maximo opere commendo; eaf-
dem propediem vobis publicè, vo-
lente & juvante Deo, denuò plenif-
simè explicaturus. Benè & feliciter
valere, & hunc auctorem vobis
commendatum habete, cognituri
profectò, quod vulgus doctorum
ignoret. Rostochij, 7. Idus No-
vemb. Anni 1598.

V. Studiosissimus

EILHARDVS LVBINVS.



AVLI



A V L I
P E R S I I P O E
T Æ V O L A T E R R A N I
in suas S A T T R A S P r o -
logus.

NEC fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti somniâsse Parnasso
Memini, ut repentè sic Poëta prodirem.
Heliconidasq̃, pallidamq̃, Pirenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces. Ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum X A I P E,
Corvos quis olim concavum salutare,
Picasq̃, docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniq̃, largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quòd si dolosi spes refulserit numi,
Corvos poëtas, & poëtidas picas
Cantare credas Pegaseium melos.



A S

S A



SATIRA PRIMA.



Curas hominum, ô quantū est in rebus inane!
Quis leget hæc? min^{us} tu istud ais? nemo, her-
cule. nemo?

Vel duo, vel nemo. turpe & miserabile. quare?
Ne mihi Pulydamas, & Trojades Labeonem
Prætulert? nugæ: non si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenue improbum in illâ
Castiges trutinâ: nec te quasiueris extrâ.
Nam Romæ quis non? ab si fas dicere! sed fas
Tunc, cum ad canitiem, & nostrum istud viuere wiste
Aspexi, & nucibus facimus quæcunque relictis:
Cum sapimus patruos; tunc, tunc. ignoscite, nolo.
Quid faciam? si sum petulanti splene cachinno.
Scribimus inclusi: numeros ille, hic pede liber
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo pexusq; togæque recenti,
Et natalitiâ tandem cum sardoniche albus,
Sede leget celsâ, liquido cum plasmate guttur
Mobile colluerit, patranti fractus ocello.
Hic neque more probo videas, neque voce serenâ
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur vbi intima versu.
Tunc, vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus; Ohe!

Quò

SATVRA I.

Quid didicisse? nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
 Innata est, rupto iecore exierit caprificus?
 En pallor, seniumq̄: ô mores! vsque adedne
 Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
 At pulchrum est digito monstrari, & diciet, hic est.
 Tèn^r cirratorum centumdictata fuisse
 Pro nihilo pendas? ecce, inter pocula querunt
 Romulide saturi, quid da poemata narrent.
 Hic aliquis cui circum humeros hyacinthina lena est,
 Rancidulum quiddam balbâ de nare locutus,
 Phyllidas, Hypsipilas, vatum & plorabile si quid,
 Eliquat, & tenero supplantat verba palato.
 Assensere viri. nunc non cinis ille poëta
 Felix? nunc leuior cippus non imprimat ossa?
 Laudant conuiue. nunc non è manibus illis,
 Nunc non è tumulo, fortunatâque fauillâ
 Nascentur viola? rides, ait, & nimis vncis
 Naribus indulges. an erit, qui velle recuset
 Os populi meruisse, & cedro digna locutus
 Linqere, nec scombro metuentia carmina, nec thus?
 Quisquis es ô, modò quem ex aduerso dicere feci,
 Non ego, cum scribo, si fortè quid aptius exit,
 (Quando hæc rara avis est) si quid tamen aptius exit,
 Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est.
 Sed recti finemque, extremumq̄, esse recuso
 Euge tuum, & bellè. nam bellè hoc excute totum,
 Quid non intus habet? non hîc est Ilias Atti,
 Ebria veratro, non si qua eligidia crudè

Dictarunt.

A. PERSII

Dictârunt proceres, non quicquid denique lectis
 Scribitur in citreis, calidum scis ponere sumen,
 Scis comitem horridulum trîâ donare lacernâ,
 Et verum, inquis, amo: verum mihi dicite, de me.
 Quî pote? vis dicam? nugaris, cûm tibi calue
 Pinguis aqualiculus propenso sesquipedē extet.
 O Fane! à tergo quem nulla ciconia pinsit,
 Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
 Nec linguae quantum sitiât canis Appula, tantum.
 Vos ô patricius sanguis, quos vivere fas est,
 Occipiti caco, postica occurrite sanne.
 Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina mollî
 Nunc demum numero fluere, ut per leue seueros
 Effundat iunctura vngues? scit tendere versum
 Non secus ac si oculo rubricam dirigat vno:
 Siue opus in mores, in luxum, & prandia regum
 Dicere, res grandes nostro dat Musa poëta.
 Ecce modò heroas sensus afferre videmus
 Nugari solitos Gracè, nec ponere lucum
 Artifices, nec rus saturum laudare, vbi corbes,
 Et focus, & porci, & fumosa Palilia fœno:
 Vnde Remus, sulcòque terens dentalia, Quinti,
 Quum trepida ante boues Dictatorem induit vxor,
 Et tua aratra domum lictor tulit. euge poëta.
 Est nunc Briseis quem venosus liber Acci,
 Sunt quos Pacuuiusq; , & verrucosa moretur
 Antiopa, arumnis cor luctificabile fulta.
 Hos pueris monitus patres infundere lippos

Cum

SATIRA I.

Cùm videas, quærisne, vnde hæc sarrago loquendâ
 Venerit in linguas? vnde istud dedecus, in quo
 Trossulus exsultat tibi per subsellia læuis?
 Nilne pudet capiti non posse pericula cano
 Pellere? quin tepidum hoc optes audire, decenter.
 Fur es, ait Pedio: Pedius quid? crimina rasis
 Librat in antithetis, doctas posuisse figuras
 Laudatur: bellum hoc. hoc bellum? an Romule ceues?
 Mên? moueat quippe, & cantet si naufragus, assero
 Protulerim? cantas cùm fractâ te in trabe pictum
 Ex humero portes? verum, nec nocte paratum
 Florabit, qui me volet incuruâsse querelâ.
 Sed numeris decor est, & iunctura addita crudis.
 Claudere sic versum didicit, Berecynthius Atys:
 Et qui ceruleum dirimebat Nerea Delphin:
 Sic costam longo subduximus Apennino.
 Arma virûm. nonne hoc spumosum, & cortice pinguis?
 Vi ramale vetus vegrandi subere coctum.
 Quidnam igitur tenerum, & laxâ ceruice legendum?
 Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis,
 Et raptum vitulo caput ablatura superbo
 Bassaris, & lyncem Mœnas flexura corymbis,
 Euiou ingeminat, reparabilis adsonat Echo.
 Hæc fierent, si testiculi vena vlla paterni
 Viueret in nobis? summâ delumbe-saliuâ
 Hoc natar in labris, & in vdo est Mœnas & Atys.
 Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit vngues.
 Sed quid opus teneras mordaci radere vero

Auriculas?

A. PERSII

Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi fortè
Limina frigescant. sonat hïc de nare caninâ
Littera. per me equidem sint omnia protinus alba,
Nil moror, euge, omnes, omnes benè mirè eritis res.
Hos iuuat: hïc, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extrâ
Mejite. discedo. secuit Lucilius urbem
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus, amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso:
Mén? mutire nefas, nec clàm, nec cum scrobe? nusquam?
Hïc tamen infodiam: vidi, vidi ipse libelle,
Auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum,
Hoc ridere meum. tam nil nullâ tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Aspice & hæc, si fortè aliquid decoctius audis:
Inde vaporatâ lector mihi ferueat aure.
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit,
Sordidus, & lusco qui possit dicere lusce,
Sese aliquem credens, Italo quòd honore supinus
Fregerit heminas Arreti edilis iniquas:
Nec qui abaco numeros, & secto in puluere metas
Scit risisse vafer, multùm gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat:
His mane edictum, post prandia Callirhoën do.

SATT-



SATTRA SECVNDA.

Hunc Macrine diem numeram meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio, non tu prece poscis e-
Qua nisi seductis nequeas committere diuis. (maci,
At bona pars procerum tacitâ libabit acerrâ.
Haud cuiuis promptum est, murmurq; humilesq; susurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & ut audiat hospes.
Illa sibi introrsum, & sub linguâ immurmurat: ô si
Ebullet patrum præclarum funus! & ô si
Sub raastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres,
Impello, expungam! namque est scabiosus, & acris
Bile tumet. Nerio iam tertia conditur vxor.
Hæc sanctè ut poscas, Tyberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.
Heus age, responde, minimum est quod scire laboro:
De Foue quid sentis? estne ut præponere cures
Hunc cuiquam? cuiam? vis Staio? an scilicet hæres
Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Fouis aurem impellere tentas,
Dic agetum Staio: præ Iuppiter, ô donec clames
Iuppiter: at sese non clamet Iuppiter ipse?
Ignouisse putas, quia cum tonat, ocyus illex
Sulphure discutitur sacro, quàm iuque, domusque?
Anquia


A. PERSII

An quia non fibris ouium, Ergennâque iubentē
 Triste iaces lucis, euitandumque bidental:
 Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
 Iuppiter? aut quidnam est, quâ tu mercede deorum
 Emeris auriculas, pulmone, & lactibus vinctis?
 Ecce auia, aut metuens Diuum matertera cunis
 Exemit puerum, frontemque, atque vda labella
 Infami digito, & lustralibus antè saluiis
 Expiat, vrentes oculos inhibere perita.
 Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
 Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ades.
 Hunc optent generum rex & regina: puella
 Hunc rapiant: quicquid calcauerit hic rosa fiat.
 Ast ego nutrici non mando vota: negato
 Iuppiter hæc illi, quamuis te albatâ rogârit.
 Poscis opem neruis, corpusque fidele senectæ:
 Esto age. Sed grandes patinæ, tucetâque crassa
 Adnuere his superos vetuere, Iouemque morantur.
 Rem struere exoptas caso boue, Mercuriumque
 Arcessis fibrâ: Da fortunare penates,
 Da pecus, & gregibus fatum. quo, pessime, pacto,
 Tot tibi cùm in flammis iunicum omenta liquecant?
 Attamen hic exis, & opimo vincere farto
 Intendit: iam crescit ager, iam crescit ouile,
 Iam dabitur, iam, iam; donec deceptus, & ex spes,
 Ne quicquam fundo suspiret numus in imo.
 Si tibi cratêras argenti, incusaque pingui
 Auro dona feram, sudas, & pectore leuo

Excū-

SATIRA II.

Excultas guttas, letetur pratrepidum cor.
 Hinc illud subiit, auro sacras quod ouato
 Perducis facies. nam fratres inter abenos
 Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
 Praecipui junto, sitq; illis aurea barba.
 Aurum vasa Numae, Saturniaq; impulit ara,
 Vestalesq; urnas, & Thuscum fictile mutat.
 O curua in terras anime, & caelestium inanes!
 Quid iuuat hos templis nostros immixcere mores?
 Et bona diis ex hac scelerata ducere pulpâ?
 Hæc sibi corrupto cassiam dissoluit oliuo,
 Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus,
 Hæc baccam concha rasisse, & stringere venas
 Feruentis masse crudo de puluere iussit.
 Peccat & hæc, peccat, vitio tamen vititur. at vos
 Dicite pontifices, in sacro quid facit aurum?
 Nempe hoc, quod Veneri donata à virgine puppa.
 Quin damus id superis, de magna quod dare lance
 Non possit magni Messalæ lippa propago,
 Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus
 Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
 Hoc cedo vt admoueam templis, & farre litabo.



SATIRA TERTIA.



Empe hoc assidue? Jam clarū mane fenestras
 Intrat, & angustas extendit lumine rimas.

B

Serti-

A. PERSII

Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
 Sufficiat: quintâ dum linea tangitur umbrâ,
 En quid agis? siccas insana canicula messes
 Jamdudum coquit, & patulâ pecus omne sub ulmo est.
 Unus ait comitum: verumne? itane? ocyus adsit
 Hic aliquis. nembn? turgescit viurea bilis.
 Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.
 Jam liber, & bicolor positis membrana capillis,
 Inq; manus chartæ, nodosaq; venit arundo,
 Tum querimur, crassus calamo quod pendeat humor:
 Nigra quod infusâ vanescat sepia lymphâ:
 Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.
 O miser, inq; dies ultra miser! huccine rerum
 Venimus? at cur non potius teneroq; columbo,
 Et similiis regum pueris, pappare minutum
 Poscis? & iratus mammae lallare recusas?
 An tali studeam calamo? cui verba? quid istas
 Succinis ambages? tibi luditur, effluis amens.
 Contemnere, sonat vitium, percussa malignè
 Respondet viridi non cocta fidelia limo.
 Vdum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
 Fingendus sine fine rotâ. Sed rure paterno
 Est tibi far modicum, purum, & sine labe salinum:
 Quid metuas? cultrixq; foci secura patella.
 Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
 Stemmata quod Thusco ramum millesime ducis?
 Censorémve tuum vel quod trabeate salutas?
 Ad populum phaleras: ego te intus & in cute novi.

Non

SATIRA III.

Non pudet ad morem discincti viuere Natta?
 Sed stupet hic vitio, & fibris increuit opimum
 Pingue, caret culpâ, nescit quid perdat: & alto
 Demersus, summâ rursus non bullit in vndâ.
 Magne pater diuûm, seuos punire tyrannos
 Haud aliâ ratione velis, cum dira libido
 Mouerit ingenium feruenti tinâ veneno,
 Virtuti inuideant, intabescantq; relicta.
 Anne magis Siculi gemuerunt era iuenci,
 Et magis auratis pendens laquearibus ensis
 Purpureas subter ceruices terruit, imus,
 Fumus precipites, quàm si sibi dicat, & intus
 Palleat infelix, quod proxima nesciat vxor?
 Sæpe oculos, memini, tingebam paruus oliuo,
 Grandia si nollem morituri verba Catonis
 Discere, ab insano multum laudanda magistro,
 Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
 Fure etenim id summum. Quid dexter senio ferret,
 Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
 Raderet, angustæ collo non fallier orca:
 Neu quis callidior buxum torquere flagello.
 Haud tibi inexpertum est curuos deprendere mores,
 Quæq; docet sapiens braccatis illita Medis
 Porticus, insomnis quibus & detonsa iuuentus
 Inuigilat, siliquis & grandi pasta polentâ.
 Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
 Surgentem dextro monstrauit limite callem.
 Stertis adhuc? laxumq; caput compage soluâ

A. PERSII

Oscitat hesternum dissutis vndiq; malis?
 Est aliquid quod tendis, & in quod dirigis arcum?
 An passim sequeris coruos, testâq; lutoq;
 Securus quod pes ferat, atq; ex tempore viuis?
 Helleborum frustra, cum iam cutis agra tumebit,
 Poscentes videas: venienti occurrite morbo.
 Et quid opus Cratero magnos promittere monteis?
 Diciteq; ô miseri, & causas cognoscite rerum,
 Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
 Quis datus, aut meta quam mollis flexus, & vnde
 Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
 Utile numus habet: patria, charisq; propinquis
 Quantum elargiri deceat: quem te deus esse
 Fuit, & humanâ quâ parte locatus es in re
 Disce, neq; inuidcas, quod multa fidelia putet
 In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
 Et piper, & perna, Marsi monumenta clientis,
 Menaq; quod primâ nondum defecerit orcâ.
 Hic aliquis de gente hircosâ Centurionum
 Dicat, quod satis est, sapio mihi; non ego curo
 Esse quod Arcefilas, erumnosiq; Solones,
 Obstipo capite, & figentes lumine terram,
 Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,
 Atq; exporrecto irutinantur verba labello,
 Ægroti veteris meditantés somnia, gigni
 De nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.
 Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?
 Hos populus ridet, multumq; torosa iuuentus

Ingemi-

SATIRA III.

Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
 Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, & agris
 Faucibus exsudat grauis halitus: inspice sodes
 Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
 Tertia compositas vidit nox currere venas,
 De maiore domo modicè sitiente lagenâ
 Lenia loturo sibi Surrentina rogauit.
 Heus bone, tu palles. nihil est. videas tamen istud,
 Quicquid id est, surgit tacitè tibi lutea pellis.
 At tu deterius palles, ne sis mihi tutor:
 Jampridem hunc sepeli: tu restas. perge tacebo.
 Turgidus hic epulis, atq; albo ventre lauatur,
 Gutture sulphureas lentè exhalante mephites.
 Sed tremor inter vina subit, calidumq; trientem
 Excutit è manibus: dentes crepuère reiecti:
 Vincta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
 Nunc tuba, candelæ, tandemq; beatus alto
 Compositus lecto, crassiq; lutatus amomis,
 In portam rigidos calces extendit. At illum
 Hesterni capite induto subiére Quirites.
 Tange miser venas, & pone in pectore dextram:
 Nil calet hic. summósq; pedes attinge, manusq;
 Non frigent. visa est si fortè pecunia, siue
 Candida vicini subrisit mollè puella,
 Cor tibi ritè salit? positum est argente satino
 Durum olus, & populi cribro decussa farina,
 Tentemus fauces, tenero latet vlcus in ore
 Putre, quod haud deceat plebeiâ radere betâ.

A. PERSII

Alges, cum exoussit membris timor albus aristas.
Nunc face supposita feruescit sanguis, & ira
Scintillant oculi: dicisq;, facisq;, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.



SATIRA QVARTA.

R Em populi tractas? barbatum hoc crede ma-
gistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta.
Quo fretus? dic hoc magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium & rerum prudentia velox,
Ante pilos venit: dicenda, tacendaq;, calles?
Ergo vbi commotâ feruet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turba
Maiestate manus: quid deinde loquere? Quirites
Hoc puto non iustum est, illud malè, rectius istud.
Scis etenim iustum geminâ suspendere lance
Ancipitis libra, rectum discernis, vbi inter
Curua subit, vel cum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur summâ nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? vnctâ vixisse patellâ
Semper, & assiduo curata cuticula sole.

Expecta

SATYRA IIII.

Expedta, haud aliud respondeat haec anus. I nunc,
 Dinomaches ego sum, suffla: sum candidus. esto:
 Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
 Cum benè discincto cantauerit ocyma verna.
 Ut nemo in sese tentat descendere! nemo,
 Sed praecedenti spectatur mantica tergo.
 Quaesieris: nostin? Vectid! praedia? cuius?
 Diues arat Curibus, quantum non miluus oberret:
 Hunc ais? hunc, diis iratis, Genioq; sinistro?
 Qui quandoq; iugum pertusa ad compita figit,
 Seriola veteris metuens deradere limum,
 Ingemit, hoc bene sit; tunicatum cum sale mordens
 Cape, & farratam pueris plaudentibus ollam,
 Pannosam facem morientis sorbet aceti.
 At si vnctus cesses, & figas in cute solem,
 Est prope te ignotus cubito qui tangat, & acré
 Despuat in mores, penemq; arcanaq; lumbi
 Runcantem populo marcentes pandere vulvas.
 Tu cum maxillis balanatum gausape pectas,
 Inguinibus quare detonsus curculio extat?
 Quinq; palastrite licet haec plantaria vellant,
 Elixasq; nates labefactent forcipe aduncâ,
 Non tamen ista filix vllò mansuescet aratro.
 Cedimus, inq; vicem praebemus crura sagittis.
 Viuitur hoc pacto: sic nouimus. Ilia subter
 Cecum vulnus habes, sed lato balteus auro
 Protegit: ut mâuis, da verba, & decipe nervos,
 Si potes. Egregium cum me vicinia dicat,

Non

A. PERSII

Non credam? viso si palles improbe numo,
Si facis in penem quicquid tibi venit amarum,
Si puteal multâ cautus vibice flagellas?
Necquicquam populo bibulas donaveris aures:
Respue quod non es: tollat sua munera cerdo.
Tecum habita, & nôris quàm sit tibi curta supellex.



SATTRA QVINTA.



Atibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina
centum:

Fabula seu mœsto ponatur hianda tragædo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyeste
Feruebit, sepe insulso cœnanda Glyconi.
Tu neq; anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum graue cornicaris ineptè:
Nec scloppo tumida intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, iuncturâ callidus acri
Ore teris modico, pallentes radere mores
Doctus, & ingenue culpam defigere ludo.

Hinc

SATYRA V.

Hinc trabe quæ dicas, mensamq; relinque Mycenis
 Cum capite, & pedibus, plebejaq; prandia nôris.
 Non equidem hoc studeo, bullatis vt mihi nugis
 Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
 Secreti loquimur. tibi nunc hortante Camœnâ
 Excutienda damus præcordia, quantaq; nostræ
 Pars tua sit, Cornute, anima, tibi dulcis amice.
 Ostendisse iuuat: pulsa, dignoscere cautus
 Quid solidum crepet, & pictæ tectoria lingua.
 Hic ego centenas ausim deponere voces,
 Vt quantum mihi te sinuoso in pectore fixi
 Voce traham purâ, totumq; hoc verba resingent,
 Quod latet arcanâ non enarrabile fibrâ.
 Cùm primum pauido custos mihi purpura cessit.
 Bullaq; succinctis laribus donata pependit,
 Cùm blandi comites, totaq; impunè Suburrâ
 Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo,
 Cùmq; iter ambiguum est, & vitæ nescius error
 Deducit trepidas ramosa in compita mentes,
 Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
 Socratico, Cornute, sinu: tunc fallere solers
 Apposita intortos ostendit regula mores:
 Et premitur ratione animus, vinciq; laborat,
 Artificemq; tuo ducit sub pollice vultum.
 Tecum etenim longos meminî consumere soles:
 Et tecum primas epulis decerpere noctes.
 Vnum opus, & requiem pariter disponimus ambo,
 Atq; verecundâ laxamus seria mensâ.

B S

Non

A, PERSII

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, & ab vno sydere duci,
Nostra vel equali suspendit tempora librâ
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Diuidit in geminos concordia fata duorum,
Saturnumq; grauem nostro Foue frangimus vnâ:
Nescio quod certè est, quod me tibi temperat, astrum.
Mille hominum species, & rerum discolor vsus:
Velle suum cuiq; est, nec voto viuatur vno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
Hic satur irriguo mauult turgescere somno:
Hic campo indulget. hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris: sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi.
Tum crassos transisse dies, lucemq; palustrem,
Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis iuuat impallescere chartis:
Cultor enim iuuenum purgatas inferis aures
Fruge Cleantheâ: Petite hinc iuuenesq; senesq;
Finem animo certum, miserisq; viatica cànis.
Cras hoc fiet, idem cras fiet. quid? quasi magnum,
Nempe diem donas? sed cum lux altera venit,
Fam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit vlrâ.
Nam quamuis prope te, quamuis temone sub vno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, & in axe secunda.

Libertate

SATIRA V.

Libertate opus est, non hanc, quã ut quisq; Velinã
 Publius emeruit, scabrosum tesserulã far
 Possidet. heu steriles veri! quibus vna Quiritem
 Vertigo facit. hic Dama est non tressis, agaso,
 Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax,
 Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
 Marcus Dama. Pape! Marco spondente recusas
 Credere tu numos? Marco sub iudice palles?
 Marcus dixit; ita est: assigna Marce tabellas.
 Hec mera libertas, hanc nobis pilea donant.
 An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
 Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, viuere: non sum
 Liberior Bruto? mendosè colligis, inquit
 Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
 Hec reliqua accipio: licet, ut volo, viuere, tolle.
 Vindictã postquam meus à pretore recessi,
 Cur mihi non liceat, iussit quodcunq; voluntas,
 Excepto si quid Masuri rubrica vetauit?
 Disce, sed ira cadat naso, rugosãq; sanna,
 Cùm veteres auias tibi de pulmone reuello.
 Non pretoris erat stultis dare tenuia rerum
 Officia, atq; vsum rapida permittere vita.
 Sambucam citius caloni aptaueris alto.
 Stat contrã ratio, & secretam gannit in aurem,
 Ne liceat facere id, quod quis vitabit agendo.
 Publica lex hominum, naturãq; continet hoc fas,
 Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
 Diluis helleborum, certo compescere puncto

Nescius

A. PERSII

Nescius examen, vetat hoc natura medendi.
 Nauim si poscat sibi peronatus arator
 Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
 Frontem de rebus. tibi recto viuere talo
 Ars dedit, & veri speciem dignoscere calles,
 Nequa suberato mendosum tinniat auro,
 Quaeque sequenda forent, & quae vitanda vicissim,
 Illa prius creta, mox haec carbone notasti.
 Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis,
 Jam nunc astringas, iam nunc granaria laxes,
 Inque luto fixum possis transcendere numum,
 Nec gluto sorbere saliuam Mercurialem,
 Haec mea sunt, teneo, cum verè dixeris, esto
 Liberque, ac sapiens, praeioribus, ac Foue dextro.
 Sin tu, cum fueris nostra paulò antè farina,
 Pelliculam veterem retines, & fronte politus
 Astutam vapido seruas sub pectore vulpem:
 Quae dederam supra, repeto: funemque reduco.
 Nil tibi concessit ratio: dignum exere, peccas:
 Et quid iam paruum est? sed nullo thure litabis,
 Hereat in stultis breuis vt semuncia recti.
 Haec miscere nefas, nec, cum sis caetera fessor,
 Treis tantum ad numeros satyri moucare Bathylli.
 Liber ego. vnde datum hoc sumis tot subdite rebus?
 An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
 I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer,
 Si increpui, cessas nugator? seruitium acre
 Te nihil impellit? nec quicquam extrinsecus intrat,
 Quod

SATIRA V.

Quod nervos agitei? sed si intus, & in iecore ægro
 Nascuntur domini, quî tu inpunitior exis,
 Atq; hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?
 Mane piger steris, Surge, inquit auaritia, eia
 Surge. negas? instat, surge, inquit. non queo. surge.
 En quid agam? rogitas? en, saperdam aduehe ponto,
 Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica Coa:
 Tolle recens primus piper è sitiante camelo,
 Vende aliquid, iura. Sed Iuppiter audiet. heu heu;
 Vare regustatum digito terebrare salinum
 Contentus perages, si viuere cum Foue tendis,
 Jam pueris pellem succinctus, & ænophorum aptas
 Ocyus ad nauem: nil obstat, quin trabe vastâ
 Ægeum rapias, nisi solers luxuria antè
 Seductum moneat; quò deinde insane ruis? quò?
 Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
 Intumuit, quam non extinxerit vrna cicuta.
 Tûn? mare transilias? tibi tortâ cannabe fulto
 Cena sit in transtro? Venientanumq; rubellum
 Exhalet vapidâ lasum pice sessilis obba?
 Quid petis? ut numi, quos hîc quincunce modesto
 Nutrieras, peragant auidos sudore deunces?
 Indulge Genio, carpamus dulcia, nostrum est
 Quòd viuis: cinis, & manes, & fabula fies.
 Viue memor lethi, fugit hora: hoc quod loquor, inde est.
 En quid agis? duplici in diuersum scinderis hamo.
 Huccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
 Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres:

Nec


A. PERSII

*Nec tu, cū obstiteris semel, instantiq; negāris
 Parēre imperio, rupi iam vincula, dicas.
 Nam ludata canis nodum arripit, aſi tamen illi
 Cū fugit, à collo trahitur pars longa catena.
 Daue, citò, hoc credas iubeo, finire dolores
 Præteritos meditor, erudum Chæreſtratus unguem
 Abròdens ait hæc, An ſiccis dedecus obſtem
 Cognatis? an rem patriam rumore ſiniſtro
 Limen ad obſcœnum frangam, dum Chryſidis vdas
 Ebrius ante fores extinctâ cum face canto?
 Euge puer ſapias, Diis depellentibus agnam
 Percute. Sed cenſen?, plorabit, Daue, relicta?
 Nugaris, ſoleâ puer obiurgabere rubrâ:
 Ne trepidare velis, atq; arctos rodere caſſes,
 Nunc ferus, & violens: at ſi vocet, haud mora, dicas,
 Quidnam igitur faciam? ne nunc, cū accerſor, & vltro
 Supplicet, accedam? Si totus & integer illinc
 Exieris, nunc nunc, hic hic, quem quærimus, hic eſt:
 Non in feſtucâ liçtor quem iactat ineptus.
 Fuſ habet ille ſui, palpo quem ducit hiantem
 Cretata ambitio? vigila & cicer ingere largè
 Rixanti populo, noſtra vt Floralia poſſint
 Aprici meminiffe ſenes: quid pulchrius? at cum
 Herodis venère dies, vnctâq; fenestrâ
 Diſpoſite pinguem nebulam vomuère lucernæ
 Portantes violas, rubrumq; amplexa catinum
 Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
 Labra moues tacitus, recunitaq; ſabbatha palles.*

Tunc

SATIRA V.

Tunc nigri lemures, ouoq; pericula rupto,
Tunc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos,
Incussere deos instantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaueris allii:
Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
Continuò crassum ridet Vulpenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur,



SATIRA SEXTA.

Admbuit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Famne lyra, & tetrico viuunt tibi pectine
cborda?

Mire opifex, numeris veterum primordia vocum,
Atq; marem strepitum fidis intendisse Latina;
Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honesto
Egregios lusisse senes. Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernatq; meum mare, quàm latus ingens
Dant scopuli, & multàm litus se valle receptat.
Lunai portum est operæ cognoscere ciues,
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maonides, quintus pauone ex Pythagoræo.
Hic ego securus vulgi, & quid præparet Auster
Infelix pecori, securus & angulus ille
Vicini, nostro quia pinguior, etsi aded omnes
Ditescant orti peioribus, vsq; recusam

CURIUS

A. PERSII

Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine vincto,
Et signum in vapidâ naso tetigisse lagenâ.
Discrepet his alius: geminos horoscope varo
Producis Genio: solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muriâ vaser in calice emptâ,
Ipse sacrum irrorans patinæ piper. hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem solers turdorum nôsse satiram.
Messe tenuis propriâ viue, & granaria, fas est,
Emole. quid metuas? occa & seges altera in herbâ est.
Ast vocat officium, trabe ruptâ, Brutia saxa
Prendit amicus inops, remq; omnem, surdaq; vota
Condedit Fonio, iacet ipse in litore & vnâ
Ingentes de puppe Dei, iamq; obuia mergis
Costa ratis lacera. nunc & de cespite viuo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cœruleâ in tabulâ. Sed cœnam funeris heres
Negliget iratus, quod rem curtaueris, vrnæ
Ossa inodora dabit: seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent castæ, nescire paratus.
Tunc bona incolumis minuas? Sed Bestius vrget
Doctores Graios, ita fit, postquam sapere vrbi
Cum pipere & palmis venit nostrum hoc maris experts,
Fœnifecæ crasso vitilrunt vngvine pultes.
Hæc cinere vltior metuas? at tu, meus heres
Quisquis eris, paulum à turbâ seductior audi:
O bone, num ignoras? missa est à Cæsare laurus

Insignem

SATIRA VI.

Insignem ob cladem Germana pubis, & aris
 Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,
 Jam chlamydas regum, iam lutea gausapa captis
 Essedâq, ingentésq, locat Caesonia Rhenos.
 Diis igitur, Genioq, ducis, centum paria, ob res
 Egregiè gestas, induco. quis vetat? aude.
 Væ, nisi conuiues: oleum, artocreasq, popello
 Largior: an prohibes? dic clarè: non adeo, inquis,
 Exossatus ager iuxta est. age, si mihi nulla
 Jam reliqua ex amitis, patriuelis nulla, proneptis
 Nulla manet patrii, sterilis matertera vixit,
 Deq, auia nihilum superest: accedo Bouillas,
 Cliuinq, ad Virbi. prestò est mihi Manius heres.
 Progenies terra! quære ex me, quis mihi quartus
 Sit pater, haud promptè, dicam tamen: adde etiam v-
 Vnum etiam, terra est iam filius, & mihi ritu (num,
 Manius hic generis propè maior auunculus exit.
 Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
 Sum tibi Mercurius: venio deus huc ego, vt ille
 Pingitur. an renuis? vñ? tu gaudere relictis?
 Deest aliquid summa: minui mihi, sed tibi totum est
 Quicquid id est: vbi sit fuge quærere, quod mihi quondã
 Legarat Stadius, neu dicta repone paterna.
 Fanoris accedat merces: hinc exime sumptus.
 Quid reliquum est: reliquum? nunc nunc impensius vnge,
 Vnge puer caules. mihi festã luce coquatur
 Vrtica, & fissã fumosum sinciput aure,
 Vt tuus iste nepos olim satur anseris extis,

C

Cum

A. PERSII

Cùm morosa vago singultiet inguine vena,
Patritia immeiat vulus? mihi trama figura
Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro, mercare, atq; excute solers
Omne latus mundi, ne sit prestantior alter,
Cappadocas rigidâ pingues pauisse catastâ.
Rem duplica: feci: iam triplex, iam mihi quartò,
Fam decies redit in rugam. depinge vbi sistam,
Inuentus Chrysippe tui finitor acerui.



SVLPICIÆ SATYRA.

Musa, quibus numeris heroas & arma frequen-
Fabellâ permittite mihi detexere paucis. (tas,
Nam tibi secessi, tecum penetrabile retractans
Consilium. quare nec carmine curro phaleuco,
Nec trimetro iambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.
Cetera quin etiam, quo deniq; millia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Graijs,
Et salibus variare nouis constanter omitto:
Teq; quibus princeps & facundissima calles,
Aggredior. precibus, descende clientis, & audi.
Dic mihi Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat? an terras, & patria secula mutat?
Quasq; dedit quondam, morientibus eripit artes?

Nosq;

S V L P. S A T T R.

Nosq; iubet tacitos, & iam rationis egenos,
 Non aliter, primo quam quum surreximus auro,
 Glandibus, & pura rursus procumbere lymphæ?
 An reliquas terras conseruat amicus, & vrbes,
 Sed genus Ausonium, Remuliq; exturbat alumnos?
 Quid reputemus enim? Duo sunt quibus extulit ingens
 Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.
 Sed virtus agitata domi, & socialibus armis,
 In freta Sicania, & Carthaginis exijt arces.
 Ceteraq; imperia, & totum simul abstulit orbem.
 Deinde velut stadio victor qui solus Achæo
 Languet, & immotâ secum virtute fatiscit:
 Sic itidem Romana manus, contendere postquam
 Destitit, & pacem longis frenauit habenis,
 Ipsa domi leges & Graia inuenta retractans,
 Omnia bellorum terrâ quæsitâ, mariq;
 Præmia consilio, & molli ratione regebat.
 Stabat in his, neq; enim poterat constare sine ipsis:
 Aut frustra vxori, mendaxq; Diespiter olim,
 Imperium sine fine dedi, dixisse probatur.

Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,
 Non trabe, sed tergo prolapsus, & ingluuie albus,
 Et studia, & sapiens hominum nomenq; genusq;
 Omnia abire foras, atq; Vrbe excedere iussit.
 Quid facimus? Graios, hominumq; reliquimus vrbes.
 Ut Romana foret magis his instructa magistris:
 Nunc Capitolino veluti turbante Camillo
 Ensibus & truinâ Galli fugere relicta,

SVLP. SATIRA

Sic nostri palare senes dicuntur, & ipsi
 Ut ferale suos onus extirpare libellos.
 Ergo Numantinus, Libycusq; erravit in isto
 Scipio, qui Rudio crevit formante magistro,
 Cetera & illa manus bello fecunda secundo,
 Quos inter prisca sententia dicitur Catonis
 Scire adeo magni fecisset, virumne secundis,
 An magis aduersis staret Romana propago.
 Scilicet aduersis. nam quum defendier armis
 Suadet amor patriae, & captiua penatibus vxor,
 Conuenit ut vespis, quarum domus arce Moneta,
 Turba rigens strictis per lutea corpora telis.
 Ast vbi apis securus redit, oblita fauorum
 Plebs, materq; vnâ somno moriuntur obeso.
 Romulidarum igitur longa & grauis exitium pax.
 Hoc fabella modo pausam facit. optima posthaec
 Musa, velim moneas, sine quâ mihi nulla voluptas
 Viuere, vti quondam Lydus dum Smyrna peribat,
 Nunc iidem migrare velint. vel deniq; quiduis,
 Ut dea, quare aliud. tantum Romana Caleno
 Mœnia, iucundos pariterq; auerte Sabinos.
 Hec ego. tum paucis Dea me dignatur, & insit:
 Pone metus æquos, cultrix mea. summa tyranno
 Hec instant odia, & nostro periturus honore est.
 Nam laureta Nunc, fomesq; habitamus eosdem,
 Et comite Egeriâ ridemus inania cepta,
 Viue, vale. manet hunc pulchrum sua fama dolorem.
 Musarum spondet chorus, & Romanus Apollo.

F I N I S.

ULB Halle

3

002 629 992



(F)

SS

2L


AB 15 44 07

VD 77

nam si ex lege hereditas
ex remissione. Abrahāe autē
onem donavit dōs. Quid igitur
ter transgressionē posita est: don
niet sem. cui remissat
p anglos in manu mediatoris.
tō autē unius n̄ est dōs autē
est. Lex ergo adūsus p
absit. Si enim data eēt lex
vivificare: vere ex lege eēt
conclusit scriptura omnia suo
ut pmissio ex fide ihū xpī
dentibus. *Ex.* Respice domine

Aev ia.

ultimus domino



77

14

AVLI
**PERSII
 FLACCI**
 Satyræ VI

Accuratissimè emen-
 datæ & editæ
 ab
 EILHARDO LVBINO.



ROSTOCHII
 Typis Reusnerianis. Anno 1598.